**La constitución de Servio Tulio. Clases y centurias. La segunda y tercera clase: sus armas.**

Secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta milium censum instituta est, et ex iis senioribus iunioribusque, viginti conscriptae sunt centuriae. Arma imperata sunt scutum pro clipeo et praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis in quinquaginta milium censum esse voluit; totidem centuriae et hae eodemque discrimine aetatium factae sunt. Nec de armis quicquam mutatum est, ocreae tantum ademptae sunt.